

Oederi, sed ab eo non delineandas. Hoc certe faciet, quod alii australiores Europae addant suas, et sic in Europaeis erit Botanicis aliquando via apertissima.

Quomodo intelligam Milleri verba in Dictionario, qui dicit Plumierum errasse et posuisse flores Tillandsiae ad fructum Karatas, et fructum Karatas ad flores Tillandsiae?

Anne edas plantas austriacas cum vivis coloribus uti Oederus? utinam faceres!

Lecto detentus per 24 dies haec scribo.

Upsaliae 1770, d. 18. Octobris.

53.

Amplissimo Viro DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car.
Linné.

Certissime responsa dedi ad singula Tua.

Quas, ultimo jam accepi, vix ex figuris divinare licet.

Salvia argentea? aut alia vix dicam, pallor foliorum propius ad argenteam accedit, sed summitates minus hirtae sunt. Si viderem siccum specimen, facile dicrem.

Iris aequae ex figura vix extricanda, refert et sibiricam, versicolore, virginicam et spuriam, si fructus sexangularis, caule semper erecto est omnino spuria; sin subtrigonus angulis obtusis est una ex prioribus, caulis figura distinguendis in specimine. Tua figura abscissa refert caulem teretem, adeoque procul dubio hybrida erit, deberes etiam in figura addere germen transverse dissectum.

Pro specimine rarissimo Buttneriae Tuae devotissima persolvo; Herbarium meum hanc arborem servabit in specialem memoriam Tuam.

Vicia est vel Vicia lutea v. hybrida, posteriorem potius crederem, non debes statuere novam speciem, vereor potius quod hybrida non sit sufficienter distincta a lutea.